



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.

Huth, Adam

Augustæ Vindelicorum, 1732

30. De eo qui furtivè ordinem suscepit

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

TITULUS XXIX.

De Clerico per saltum promot.

Quoniam. Quibus pœnis subjectus sit Clericus per saltum promotus, ille scilicet qui non gradatim se d'omisso uno vel pluribus Ordinibus intermediis ad superiorem ascendit? Resp. Valet quidem Ordo per saltum collatus juxta c. un. h. t. Episcopum excepto, qui Sacerdotio, quod essentialiter presupponit, non collato non valet; interim tamen Clerici per saltum promoti pœna est suspensio ab Ordine sic suscepto ipso jure incurta, donec omnis sus Ordo suppleatur. c. un. cit. & arg. Trid. Sess. 23. c. 14. de ref. & si in Ordine per saltum suscepto attentaverit ministrare, incurrit irregularitatem, quia est violator censuræ; à qua irregularitate, nisi occulta adhuc foret, per Episcopum non posset dispensari Sess. 24. c. 6. de ref. licet hinc dispensare concessum sit in suspensione, quando incurrit non gradatim promotus. c. un. h. t. Trid. Sess. 23. c. 14. de ref.

TITULUS XXX.

De eo, qui furtivè Ordinem suscepit.

Quoniam. Qualiter puniatur Ordinem furtivè suscipiens? Resp. Clericus, qui vel in examine rejectus, vel absque examine, simulque sine consensu & licentiâ Episcopi Ordinarii vel alios cæteris Ordinandis se ingessit, vel qui

eodémque die duos Ordines prohibitos suscepit, licet ordinetur *valide* regulariter loquendo. arg. *c. 1. h. t.* est tamen ipso jure suspensus ab executione Ordinis furtivè suscepti. Engel *h. v. pæna.* & si Episcopus suspensionem hujusmodi prohibuerit sub excommunicatione, tanquam excommunicatus suspenditur ab executione etiam cæterorum Ordinum ritè susceptorum; adeoque nullum exercere potest absque irregularitate, quam tamen non videtur incurrere per suspensionem furtivam. Ratio, quia id jura non exprimunt clare. Schmalzgr. *h. n. 8.* Deinde cum furtivè suscipiente Ordinem dispensare potest Episcopus, si specialis prohibitio ab Episcopo sub excommunicatione facta non præcessit, vel delictum sit adhuc occultum; secus solus S. Pontifex. *Text, & DD. in c. 1. & seq. h. t.*

TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum & Subditorum.

Q. 1. *Quinam sint excessus Prælatorum Ecclesiasticorum contra subditos, id est, qualiter delinquant Episcopi & Episcopis inferiores in subditos?*
Resp. 1. Episcopi & his majores delinquunt 1. si subditos gravent iniquis exactionibus, vel vexent censuris injustè illatis. *c. 1. h. t.* 2. Siquid impendant inferioribus contra eorum privilegia. *c. 5. & 7. h. t.* 3. Si jura inferiorum imminuant, aut liberent Ecclesias eis subjectas à subjectione. *c. 2.*

h.